

M E L L A.

M E L P U R U M.

Mel ex cellulis nidi Apis melliferæ suspensis sponte stillans est mel purum, vulgo *Mel virgineum* dictum.

M E L D E S P U M A T U M.

Mel commune cum aquæ puræ quarta parte coque in vase stanneo, et spumam in superficie ortam aufer cochleari foraminulis instructo; dein liquorem per manicam e panno confectam cola, et ad syrupi consistentiam coque.

M E L R O S A T U M.

℞. Petalorum Rosæ Gallicæ siccatorum uncias octo.

Aquæ fervidæ libras quatuor.

Macera per noctem et colaturæ adde Mellis despumati libras octo.

Leni igne ad consistentiam syrupi coque.

O X Y M E L S C I L L I T I C U M.

℞. Mellis despumati libras duas.

Aceti Scillitici libram unam.

Mixta coque in vase stanneo ad syrupi
consistentiam.

Usus : Morbi pulmonum pituitosi ; expecto-
ratio difficilis ; hydrops. *Externus for-*
ma gargarismatis cum aqua cinnamomi :
Tonsillitis catarrhalis.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis despumati libras duas.

Acidi Acetici diluti libram unam.

Mixta coque in vase stanneo ad consis-
tentiam syrupi.

Usus : Morbi acuti cum decocto hordei.

OXYMEL TARTAROSUM.

℞. Mellis despumati uncias duas.

Tartritis potassæ aciduli unciam unam.

Misce.

Usus : Febres biliosæ ; hydrops.